

## H I S T. Z A R I N G O - B A D E N S I S. 151

---

mus & tantum a S. R. M. te obtinuimus , ut id ipsum nobis verbo suo Regio addiderit. Quam promissionem Regiam declaramus, nomine dicti Kuczowski nobis a S. R. M. te factam ac eidem promittimus & spondemus nos effecturos, ut prima, quam habebimus, commoditate S. R. M. tas dicto Kuczowski manu Regia & Sigillo, eandem continuationem trium Annorum incipientium ut supra anno 1591. Januarii 1. addicat & assuret. Pro quo beneficio, Ego Kuczowski promitto exsolvere statim post debitam expeditionem meam in Cancellaria Regia, & usitatam introductionem in realem possessionem dictorum Teloniorum, pro tribus dictis annis, singulis annis quinque millia florenorum Polonicorum. Idque semper circa principium incipientis anni. Et quoque omnia gratitudinis officia erga Ill. tem suam præstare. Quemadmodum vicissim nos Marchio, intuendo, protegendo, & promovendo dictum Kuczowski, nihil omitemus aut in nobis desiderabitur. In cujus rei fidem, has uterque nostrum manu propria subscripsit, & sigillo proprio muniri curavit. Actum Cracoviæ die 20. Junii 1588.

EDUARDUS F. Marggraffe  
zue Badenn.

STANISLAUS KUCZKOWSKI  
Regni Teloniator.

---